



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXVII. Virtutes Ignatij Barcinone.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

Ignatij præceptum egregia eius expressum Epistola, in manus meas cum venisset, placuit latine ex Hispanico redditum, posteris consignare. [Quod nostri scholares, inquebat, pios illos quos vellent affectus non sentiant, nihil mirum, illos enim qui potest, quibus, & quando conuenit, dispensat: & credibile est tempore studiorum, quibus solet non parum spiritus affligi, sensus eiusmodi diuinorum prouide à Deo inhiberi, etsi enim mentem suauiter pascunt, sed corpus emaciant valdeque atterunt. Ad hæc occupatus scientiis animus, exfugit, & siccat voluntatis motus, sunt tamen studia si pure suscipiuntur in Dei obsequium, optima pietatis exercitamenta, & ubi virtutis integrum constet firmamentum, orandi que spatium obseruetur constitutionibus definitum, adsint vel non, interiora solatia nihil admodum referunt, nec inde magnopere dolendum, sed quod annuerit Deus dare, æquo gratoque animo accipiendum est, semperque illa præcipue curanda quorum est momentum grauius, tolerantia, contemptus sui, parendi amor, & charitas] sic ille.

XXVII.

*Virtutes
Ignatij Bar-
cinone.*

Consuetæ interim vitæ asperitas, & quoad liceret vsitata precandi tempora studiis iungebantur, & quamuis Ioannes Pasqualius apud quem angusto sub tegulis in cubiculo manebat victum quoque ab se vellet accipere, maluit tamen iens, & rediens e schola, frustum illud quotidiani panis corrogare, quo solo alebatur; (Potum enim dabat limpidae aquæ simplex) quam uti hospitis liberalitate: mendicanti verò si quid iusto amplius obueniret, selectis sibi deterioribus id omne particubatur in pauperes; ex quo factum ut notæ illius virtuti, copiosa conferrentur elemosynæ, quas statim egentibus tribuebat à quibus semper obsidebantur fores, ipseque ab illis duplo egentior, prouisor, & pater vocabatur, & re vera illos prosequabatur incredibili amore, ministrabatque illorum inopiæ tanquam Christo in iis latenti. Vnde Agneti Pascalia aliquando carpenti, quod ipse pauperior, & calamitosior cæteris; largiretur iis tamen quicquid meliusculam accepisset; tu verò ait quid egeris, si petierit abs te Christus: an sustinueris illi dare quod vilissimum est, & non potius quod lectissimum est dederis? Reperiit quoque interceptas morbis, & doloribus stomachi, suimet afflictationes; humi somnos, cilicia, verbera aliaque, sed dissimulanter; nam & sacco, & catenam abiicit; & calceis pedes, ac tolerantiam contigentibus detraxit soleas; precatio suas septem horas retinuit, magnam partem ereptas nocturnæ quieti. Nec raro contigit, ut obseruaretur curiosius ab Ioanne Pascalia benignæ ipsius hospitiæ filio, tunc admodum iuvene, rescire capido quid noctu actitaret videbat. Hominem defixis parumper in cælum oculis precandi initium facere, nunc passis in crucem brachiis; nunc toto prostratum corpore, interdum similem adoranti, post verò in genua, statuæ in modum velut extra se perstare immobilem, donec ore accendi, & totus ardere videretur, simulque in dulces vbertim lacrimas dissolui. Videbat etiam frequenter (& sunt hæc concepta narrantium verba) immensum ex eo splendorem cubiculum implere, sensimque ut erat

erat de genibus ad quatuor, & quinque palmos ab terra suspendi, unde voces, & gemitus mittebat animi tenerrimè affectu. *Ab Deus! si te homines nossent! ô & Deus infinitum bone: qui me tantum sustines peccatorem!* Et similes, talia quem dixi Ioannes suis deinde filiis narrare solitus, addebat, si scirent quæ de Ignatio ipsemet viderat, futurum vt nunquam oculis explerentur solo figendis quod calcasset, ac parietibus intra quos egisset; quæ cum diceret, profusè flens ac dolens, tundensque manu pectus, infelicem ac reum se aiebat, quod viri sancti consuetudine nescisset proficere. Neque vero in solo conclaus secreto, eiusmodi raptus Ignatium à terra sustulit, sed quamuis talium occultatorem diligentissimum diuini vis spiritus, inuitum quandoque attollebat; vt Barcinone apud Moniales S. Hieronymi, cum ad aram Matthæi Apostoli ad tres horas precando, vultu sereno & alacri hæsilset, visus est palam, à terra efferri, & flexis genibus pendere in aëre.

Saluti nihilo secius alienæ, quàm perficendi sui desiderio incumbens, multa Barcinone reliquit documenta insumptæ sceleriter in reducendis ad Deum hominibus operæ, sed in iis eminet patientissima caritas in Parthenone Angelorum emendando qui tunc extra muros inter nouam, & S. Danielis portam situs erat. Agebatur ibi licentius à parum modestis hominibus, cum periculo minimè obscuro, & offensione in publicum graui. Huic malo remedium, quamquam difficilis alex molitur Ignatius, vt cui propria damna præ Dei offensa flocci erant: huius ergo templum cœnobij ad vsitata sua pietatis officia delegit, multas illic horas quotidie orando ponit, susceptique negotij exitum Deo assiduè commendat. Precantis modestia, lacrymæ, vultus ardens; & illa tot horarum tam constans de geniculis oratio, mouere primum Sanctimoniales ad inspectionem hominis curiosam; deinde ad reuerentiam, postquam vulgò haberi pro sancto accepissent; postremò etiam ad illum de rebus diuinis audiendum; morem gessit cupientibus libenter, & principio quidem de excellentia religiosi instituti, magnisque illius implendi nominibus verba fecit; inde tanto ardore de probrosis Deo quarundam inter illas apud populum offensionibus dicere aggressus, de infamia Parthenonis, exempli prauitate innocentibus præbiti; animarum crudeli exitio cui occasionem ministrabant; de supplicio denique fontibus parato, & eo atrocius in eas læuituro quo ab amicis, iniuriæ quam ab externis Deum acerbis vulnerant, vt demum seipsas non respicerent modo, vitæque suæ conditionem miserrimam, sed multis etiam lamentarentur ac deslerent. Nec vno conflictu debellatum virus, repetita tamdiu curatio, dum adigerentur ad meditationem certorum capitum, quibus suscitaretur emortua pietas, & resingeretur ad pristinum vitæ disciplina: restituto in hunc modum secessu, & moribus, iam & cœnobium aliud, & oclusæ saluatoribus impuris fores. Hinc efferata illorum rabies aduersus Ignatium continuatis auxiliis incepta muniendam, terrore, minis, plagis per emissarios iteratis adorta, cum futura sensit in cassum omnia

XXVIII.

*Disciplinam
monialium
instaurat,
quare ad
mortem ca-
tus præcipuè
aduersario-
rum sua pa-
tientia lu-
crificat.*